



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio V. De causa materiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

cum forma, quam non dicit anima rationalis, imò oppositum dicit; quia ex eo, quod non sit educta, petit conservari naturaliter sine materia. Unde exigentia illa in Materia, non provenit ex illius corruptibilitate, sed ex connexionē speciali cum Forma.

OBJICITUR septimò. Si Materia est ingenerabilis: Ergo est nobilior formis materialibus.

RESPONDETUR. Diverso respectu id verum esse: nobilior enim erit, ratione incorruptionis, ignobilior ob prædicatum potentie.

QUÆSTIO V.

De Causa Materiali.

EX rationibus supra adlatis, conjungimus Disputationem de Materia, secundum quod principium est, & de materia secundum quod Causa est. Priorique tractatione jam expedita, ad secundam accedemus.

DIFFICULTAS I.

Quid materialis causa, que ejus causalitas, effectus, &c.

Non est idem, esse Causam materiale & Materiam, hinc Angelus & anima nostra, non est Materia, & tamen, & Angelus, & Anima, est causa subjectiva, adeoque materialis suorum actuum, habituum, &c. cumque definierimus supra, quid sit esse materiam, nunc

QUÆRES I. *Quid sit esse causam materiale?*

RESPONDET Aristoteles 2. Physic. text. 38. *Est id, inquit, ex quo aliquid fit cum insit*, seu, quod illi insit; *ly id ex quo est*, per modum generis ponitur, hinc etiam ulitata locutio obtinuit, quod compositum fiat ex materia & forma; *ly autem cum insit*, est per modum differentie, & sic formæ non inest Materia, sed è converso materiæ forma. Et licet hæc definitio non competat causæ materiali comparative, tam ad formam quam causat, quam etiam comparative ad compositum sumpta, non ideo tamen rejicienda, quia non est tradita ab Aristotele, cum omni rigore, sed nonnisi per modum descriptionis, tradendo eam per ordinem ad aliquod principale, quo cognitio reliqua cognosci de facili possent; & cum respectu compositi materia non sit vera causa, sufficit quod per ordinem ad formam explicetur, ut sensus sit: causa materialis est id, ex qua tanquam ex subjecto producitur forma, obligata connaturaliter, nonnisi inesse subjecto.

QUÆRES 2. *An causa materialis sit vera causa?*

Potest materialis causa comparari ad formam materiale à se educibilem, potest comparari & ad compositum. Quod sit vera causa respectu compositi, Negat Arriaga & Oviedo, hinc, puncto i. n. 8. Lesius autem inclinante Arriaga, negat etiam respectu formæ materialis habere Materiam rationem causæ, quod etiam docuit Suar. 17. Disp. sect. 1. num. 10. Oppositum sentit Oviedo Controvers. 3. pun. 4. n. 7. & cum eo recentior Suar.

ASSERO 1. *Materiam, respectu formæ educibilis, esse veram causam.*

RATIO est. Tum quia, si non esset causa materialis, vera causa, respectu formæ educibilis, non esset ratio, cur non verè creetur, nam verè fieret ex nihilo sui; si autem insuper fieret ex nihilo subjecti, quæ erit distinctio inter formas creatas & eductas? si enim esset aliqua, esset hæc, quia quantumvis nulla esset causalitas causæ materialis in formam materiale, ex eo tamen non crearetur, quia dependeret in suo fieri, tanquam à conditione à Materia, sed hoc non potest salvare, ut dicatur verè educta, nam ut urget Oviedo, creatio animæ rationalis, exigit materiam tanquam conditionem sine qua non crearetur, & tamen anima non educitur: Ergo educi non est fieri ex nihilo sui, dependenter à subjecto, tanquam à conditione. Rursus per Arriagam, unio potest creati, & tamen non potest non dependere ab utroque extremo: Ergo per istam similem dependentiam, non rectè salvatur ratio educationis. Tum quia non est quid impropriū in forma materiali, quod exigit Materiam sine qua connaturaliter existere non potest: non est item quid impropriū, quod habeat materia jus & vim, ut formæ materiales, nonnisi sibi unitæ existant, quo supposito sic urgetur. Jus & vis efficientis ad producendos effectus, facit efficiens verè causam: Ergo & jus visque Materiæ, ut sine illa non possit existere naturaliter forma materialis, faciet materiam verè causam. Tum quia etiam Materia respectu formæ educæ, est principium determinans ejusdem existentiam, cum etiam sine illa naturaliter existere non possit, & quidem non habente se Materia ut conditione ex dictis supra. Ergo Materia respectu formæ educæ, est vera causa.

Quæ in contra objici possent solventur, ubi de educatione

ASSERO 2. *Causam materiale respectu compositi non esse veram causam*; quod enim aliqui dicunt esse veram causam intrinsecam, de hoc ipso querendum erit: An esse veram causam intrinsecam, sit esse veram causam? & quidem materiam respectu compositi esse veram causam, etiam ii negant, qui ponunt, quod sit vera causa, respectu formæ materialis.

RATIO 1. Formatur à quodam pro asserto: componere non est causare; alias etiam Trinitas

tas personarum, quæ constituit Trinitatem, esset causa Trinitatis.

RESPONDERI possit; Quod componere per modum actus & potentia, sit verè causare, quo modo personæ non componunt Trinitatem.

RATIO 2. est; Impossibile est esse causam physicam, & nemine cogitante causantem, & non habere effectum, à se nemine cogitante distinctum; impossibilis enim est causa sine effectu: aliàs etiam id, quod non est causa, posset esse causa; nam posset esse nihil causans, & tamen esse causa, adeoque cum non sit causa, quia nihil causans, esse nihilominus causa, sed materia (idem dic de forma) respectu compositi non habet talem effectum, quia compositum ut infra videbimus, nihil est præter Materiam & Formam & Unionem. Ergo.

RATIO 3. Materia & forma, vel simul sumptæ, & per modum unius, vel simul sumptæ in sensu distributivo, causant compositum; nullo modo ex his, causant illud: Ergo absolute non causant. Minor probatur: Materia & forma simul sumptæ, & per modum unius, sunt ipsum compositum, quod seipsum causare non potest; non etiam simul sumptæ distributive, causant compositum, quia simul sumptæ distributive, sunt ipsa Materia, vel ipsa forma: materia autem Materiam, forma formam non causat: non etiam ad invicem se causant, quia hoc non est compositum causare, cum ad invicem sumptæ, non sint compositum. Quando autem à Philosopho numerantur quatuor causarum genera, numerantur non quod ratione compositi sint quatuor, sed quia causat v.g. Materia formam eductam, idque vera causalitate, cumque plures sint materiales formæ præ creatis, ad has maxime attendit.

QUÆRES 3. *Quæ sit causalitas causæ materialis?* Censet Arriaga, actionem quæ agens producit formam, esse idem realiter, cum passione, quæ subiectum eandem formam sustentat, Recentior Suarez in fieri causalitatem materiæ, dicit esse ipsam generationem, prout sit dependenter à Materia, in facto autem esse, dicit hanc causalitatem Materiæ in formam, esse ipsam generationem, prout dependet à materia. Complutenses tenent in fieri causalitatem materiæ in formam, esse generationem, in facto esse Unionem, prout recipitur in materia. Pontius Suarez, Ruvijs, Unionem dicunt esse causalitatem.

ASSERO primò: *Unionem prout receptam in Materiam, non esse causalitatem Materiæ in formam eductam.*

RATIO prima est. Tum quia id quod est causalitas in formam, debet esse tale, ut ubicunque reperitur, hoc ipso reperiat forma educta; hoc enim deposcit natura causalitatis, sed non ubicunque reperitur unio recepta in materia,

illic est forma educta, ut scitum est in composito humano, in quo Unio recipitur in Materia, & tamen anima non est forma educta. Neque dicas cum Pontio: Non unionem quamcunque esse causalitatem, sed unionem à qua in esse & in suo fieri dependet forma: nam hoc ipsum probandum fuisset, esse scilicet illic unionem, non ejus conditionis, qualis est in homine, sed involventem illam adstrictionem ad se formæ, idque non supponendo eam in ipsa forma, sed in se illam importando. Si enim supponitur illa in ipsa forma, querere restabit, quæ sit causalitas causæ Materialis, in formam talis conditionis? Tum quia vel implicat contradictionem, formam eductam tali omnino unione uniri, quali unitur anima rationalis, ita ut diversitas peti debeat non ab unione, sed ab ipsis extremis, vel non potest tali unione uniri: si non potest, quæ in hoc implicantia; si potest, ergo talis unio non rectè explicat causalitatem materiæ in formam eductam, cum possit esse unio, adeoque causalitas per te & non respondere forma educta, sed forma creata. Tum quia impossibile est, ut ab unione dependeat forma educta in fieri & in esse, & tamen à causalitate dependere debet; quod ipsum probatur, quia pro illo priori, pro quo ponitur eductio, nec dum intelligitur unio, quia ante existentiam formæ eductæ, præintelligitur eductio, & non potest præintelligi unio, quia hæc sequitur existentiam, sequereturque quod pro illo priori unio, nihil uniret, pro illo scilicet priori, pro quo intelligitur ante existentiam. Ergo unio, non est causalitas, de qua queritur.

RATIO secunda. Quando conservantur divinitus formæ materiales sine subiecto, sunt verè eductæ actu, consequenter est illic ratio constituens formas eductas, in ratione eductarum actu, & tamen non est unio. Ergo apparet unionem non stare in eductione.

RATIO tertia est; Non implicat, contradictionem esse aliquam formam materiale eductam, & tamen non unitam: Ergo apparet eductionem, quæ idem est cum causalitate materiali, non esse unionem, quod si dicas, unionem esse causalitatem in compositum, non in formam; quæro, quæ sit causalitas in formam? & quid à parte Materiæ se tenens eductio: demum sicut relatio, est, quid posterius termino, nec est ejus causalitas; ita & unio est posterior forma educta, nec potest esse ejus causalitas.

ASSERO secundò. *Causalitatem materiæ non esse ipsam generationem, prout dependet à materia, seu quod idem est, non esse ipsam receptionem actionis.*

RATIO. Tum quia receptio actionis nihil aliud est, nisi unio cum Materia actionis: Ergo si, ut visum est supra, unio non est causalitas materiæ, neque erit receptio. Tum quia nulla causalitas recipitur in causa, sed in effectu; in eo enim

enim recipitur quod causat, & si reciperetur in causa, causam causaret; sed generatio formæ prout dependet à materia, in quantum idem est cum receptione, recipitur in ipsamet materia. Ergo non est causalitas illa receptio Generationis. Tum quia, accipiendo hanc ipsam phrasim: causalitas materiæ est ipsa generatio, prout dependet à materia; illa nihil explicabit, quærere enim restat, quid est hoc, illam pendere à Materia? pendencia importante causalitatem materialem; nam etiam creatio animæ rationalis, est productio suo modo pendens à materia, quia scilicet non producit, nisi ad exigentiam dispositionum receptorum in materia. Quæ ergo illic est specialis dependencia? & per quid forma non habens jus existendi in universo independentem à Materia, per quid inquam, huiusmodi terminus, causatur à materia? Tum quia effectus recipiens actionem, quæ receptio vocatur passio, non dicitur causare seipsum materialiter; quomodo ergo similis receptio in Materia, salvabit causationem materiæ? Tum quia præter receptionem & passionem in Materia, vel datur alia receptio in effectu, vel non datur; si non datur? quomodo tunc salvabis, quod illa receptio sit causalitas Materiæ in formam, cum forma, nec illam ponat, nec illam recipiat; si autem datur? quomodo una actione posita duplex respondebit, passio & receptio, præcipue cum Materia non sit terminus illius passionis, sed forma. Tum quia si nihil obstat duabus causis distinctis & sibi in agendo non subordinatis, debet dari distincta causalitas. Materia autem & efficiens, non sunt sibi subordinata, quia subordinatio vel est inter principale & instrumentale, vel inter causam magis universalem & causam primam & secundam; jam autem materia respectu efficientis, neque est instrumentum, nec causa magis restricta, nec causa secunda. Tum quia causalitas debet esse ratio ultima, quare Materia causet, sed illa generatio non est quid tale; si enim quæram: quare materialis forma causetur à materia? Respondebis quia generatur generatione dependente à Materia; hoc ipsum autem est quod ego quæro, quid sit istud dependere à materia? vel quare dependere à materia est ejus causalitas? Tum quia non implicat contradictionem, quod generatio sit dependens à Materia, nec tamen per hoc sequatur, illam dependentiam esse causalitatem materiæ: multa enim sunt quæ dependent ab alio, nec tamen sunt causalitas, per quam illud à quo dependent, agat, sed potius per quam agatur & fiat. Sic v.g. Creatio non est causalitas creati, sed creatoris, & tamen dependet à termino ad quem terminatur illa creatio. Ipsa item generatio, non tantum est dependens à Materia, sed etiam est dependens ab ipsa forma, & tamen non est generatio causalitas formæ, per quam forma agat; Neque valet si dicas: in adlatis

exemplis esse dependentiam, tanquam à termino quem causat, nam saltem inde sequitur, quod dependentia ab alio, non jam seipsa faciat illud aliud agere seu causare, & non ostendis quare faciat agentem seu causantem materiam. Tum quia rationes, quæ in oppositum adferuntur non convincunt, quarum non paucas refutatas videbis apud Arriagam Sect. I. *Sed in super*

Dices: Vel causalitas materialis dependet à sola materia, vel etiam ab agente; si à sola materia: Ergo causalitas illa, non est facta, quia non habet causam efficientem, nam materia sola erit causa materialis; dicere autem illam causalitatem non esse factam, omnino est Chimæricum. Ergo illa causalitas dependet à causa efficienti; sed non dependet ut terminus. Ergo ut via & actio illius: ergo ulterius causalitas materialis est etiam actio causæ efficientis.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum: emanatio passionum, qualis est emanatio quantitatis à materia, vel dependet à sola materia, vel etiam ab agente; non à sola materia, quia aliàs non esset facta quantitas; non etiam ab agente creato, quia illud non agit nisi supponendo quantum. Deinde dici potest, sicut est illa causalitas materialis, ita & facta est in genere causæ materialis, distinguetur à productione in divinis reperibili, quæ non involvit causalitatem, nec esse facti.

INSTABIS. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, nulla autem necessitas multiplicandi condistinctam causalitatem Materiæ à causalitate formæ.

RESPOND. Esse necessariam, ob rationes supra adlatis, & insuper ex eo, quia per oppositos multiplicantur magis entia sine necessitate, quia mutatis agentibus in conservatione v.g. effectus materialis, deberet etiam mutari causalitas causæ materialis quæ multiplicatio & variatio nullam habet necessitatem. *Ut explicetur quid sit causalitas materialis:*

PRÆMITTO I. In ordine ad hoc, ut constituantur forma, quæ connaturaliter exigat esse & conservari non nisi in subjecto, non est necessaria ulla causalitas intermedia causæ materialis. Sed hoc ipso quia producit ab agente talis, sine ulla superaddibili causalitate materiæ, talis est.

RATIO PRÆMISSI. Tum quia, quod seipso dependet, non causatur per distinctam causalitatem quæ sit modus, vel non sine modo, nam hæ causalitates necessariae sunt, non nisi ad tollendam indifferentiam, quæ in istis, quæ seipsis dependent, nulla est, ut notum est ex materia de Modis; sed Forma seipsa dependet à materia, in hoc, quod est esse & conservari connaturaliter non nisi in materia. Secluso enim omni alio superaddito, & relicta sola illius entitate, habebit indigentiam hanc materiæ; relicta enim sua sola entitate, adhuc non erit quid spirituale, nec quid completum. Hinc non habebit jus existendi.

stendi extra materiam. Et sicut non indigere materiâ in anima spiritali, non conferetur illi per aliquid superadditum, ita & prædictum indigere, non conferetur formæ materiali per aliquid superadditum. Et certè, ponamus illud superadditum tolli, manere autem formam in entitate materialem; vel habebitur adhuc in illa forma indigentia, ut connaturaliter non nisi in materia esse & fieri possit, vel non habebitur; Si habebitur: Ergo immerito illi superadditur; si non habebitur: ergo vel evaderet spiritalis, vel ratione superadditi naturam suam talem habebit, & tamen v.g. homo non per aliquid superadditum animal rationale est: Ergo idem dicendum de forma materiali, cuius etiam natura est, non posse fieri & conservari connaturaliter sine forma. Tum quia defacto in Eucharistia accidentia sunt ejus naturæ, ut connaturaliter existere exigant unita materiæ, & tamen nihil illic est, nisi entitas ipsorum accidentium: & licet illic suppleatur causalitas materialis, non suppletur tamen in ordine ad hoc, ut constituantur indigentes materiæ; ad esse suum connaturale. Tum quia, aliæ etiam indigentia, non constituuntur per distinctam aliquam causalitatem, & ita indigentia pecuniæ non constituitur per distinctam causalitatem, nec indigentia concursus, quæ est in creatura, respectu Dei causatur per distinctam causalitatem: Ergo idem in præfenti dicendum.

PRÆMITTO 2. *Præter indigentiam, quam habet forma: ut esse & fieri connaturaliter non possit nisi in materia, recipit influxum quendam a materia, qui appellari potest materialisatio.*

RATIO. Quia nisi hic influxus ponatur, non intelligitur per quid causetur forma, ita indigens produci & conservari.

PRÆMITTO 3. *Hunc influxum esse jus in materia, ut aliqua formæ, independentem à se, existere, & fieri naturaliter, non possent; & quia omni juri respondet debitum, resultat etiam in formis quibusdam debitum, ut connaturaliter non nisi dependentem à materia existant, jusque hoc suum exercet materia illo influxu, quem appellamus materialisationem, sed de hoc ubi de educatione. His præmissis,*

ASSERO 3. *Causalitatem materiæ esse influxum quendam in formas, qui influxus appellari potest materialisatio.* Assertum manet explicatum in præmissis. Porro ratio asserti est: Tum quia causa materialis habet suum influxum seu causalitatem; sed non salvatur hæc causalitas per actionem, nec per unionem: Ergo per dictum influxum, neque enim aliud quidquam ostendi potest. Tum quia in Sacramento Eucharistiæ, censent omnes suppleri à Deo, quamvis in diverso genere, influxum causæ materialis; sed non suppletur unio ipsa, quia non apparet modus, quò unio suppleri possit, aliàs posset Deus

compositum verè facere deficiente unione, & supplente Deo defectum illius. Et sicut verè id accidentia habent, quod habent, si in illa influeret materia, licet in diverso genere, sic verè posset esse compositum sine unione, quamvis non eodem modo, non etiam in Eucharistia, supplet Deus actionem, prout dependet à materia: quia quamvis fuerit decretum, de illa non supplenda, si modo hoc, quod debetur à materia indigentia formarum, præstaret, verè suppleret causalitatem causæ materialis: Ergo causalitas materialis stabit in illo jure materiæ & obligatione formæ, quia scilicet Deus, præbet concursus, qualem præberet, si uniretur formæ; & licet hic influxus concomitanter deponat unionem & ex consequenti, non tamen formaliter est ipsemet ille influxus, & illa causalitas, sed ad illud jus in Materia, & obligationem in forma, tum primum consequitur Unio: Tum quia, nisi ponatur hic influxus, per nihil distingueretur creatio ab educatione.

Quæ hic objici possunt vel in confirmationem explicationemque adferri, videantur ubi de educatione. *Neque inde sequetur:* Materiam esse causam efficientem, quia illa causalitate non efficitur simpliciter esse, sed tantum esse sustentantis & sustentati constituitur. *Ex dictis autem*

COLLIGIS effectum proprium materiæ, esse formas materiales, improprium, compositum.

DIFFICULTAS II.

Respectu quorum Materia exercet rationem materiæ.

SUB hoc universali titulo duo inquiremus
1. An accidentia recipiantur in Materia, an in toto composito? 2. An accidentia immediate recipiantur in Materia, an media quantitate? *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

An accidentia recipiantur in sola Materia?

NON procedit Titulus de accidentibus spiritalibus, hæc enim indubiè recipiuntur in anima rationali, quia cum possint habere subiectum sibi proportionatum in gradu Entis, illud sibi vendicabunt: sed procedit quæstio de accidentibus materialibus, iisque communibus utrique mutationis termino, quale accedens est Quantitas, primæ qualitates, &c.

DICEN-

DICENDUM est. *Accidentia communia in sola Materia recipi.* Est Conclusio communis contra Thomistas.

PROBARI solet primo. Argumento quo utitur Ariaga: Eadem quantitas & eadem accidentia communia, sunt in sequenti composito quæ fuerunt in antecedenti. Ergo idem utrobique habent subjectum, non enim de uno subiecto in aliud migrare possunt.

CONFIRMATUR. Quia in eo recipitur quantitas & alia accidentia communia, unde educuntur, sed educuntur è sola potentia materiæ. Major probatur: in eo recipiuntur accidentia, in quo ut recipiantur, dicunt connaturalem exigentiam; sed connaturalem exigentiam habent, ut in eo recipiantur unde educuntur, quæ ipsa educio, est ista exigentia. Minor principalis probatur. Tum quia tota ratio educationis salvari potest, si educantur è sola materia: ad quid ergo multiplicabuntur entia? Tum quia è sola materia educuntur formæ substantiales; ergo & accidentales. Tum quia antecedunt positionem compositi generandi, &c.

PROBARI solet secundò. In composito humano quantitas immediatè recipitur in materia: ergo & in aliis. Antecedens probatur. Quia non potest recipi in anima, quæ est in entitate spiritualis.

RESPOND. primò. Prædo apud Oviedo, quòd anima rationalis, quantumvis secundum ultimum sui gradum & entitatem in se sit spiritualis, adeoque incapax quantitatis, in quantum tamen dat esse corpori, capax est quantitatis.

CONTRA. Anima rationalis secundum ultimum sui gradum non recipit quantitatem: ergo nec secundum quod dat esse corporei, quia secundum quod dat esse corporei, est eadem entitativè, & non minus spiritualis. Deinde receptio quantitatis Physicum quid est: si est physicum, rei in divisibili & partes non habenti, convenire non potest: ut secundum quid recipiat. Et sicut si calefieret per impossibile Angelus, totus calefieret, ita secundum totum esse deberet recipere anima quantitatem.

RESPOND. 2. Recipi quantitatem etiam in anima rationali eò quòd nulla sit ratio id negandi. Si enim dicas quòd quantitas rei spirituali effectum suum formalem tribuere non possit, id non convincit, nam sensationes materiales recipiuntur in materia, & tamen materiam non reddunt sentientem, non estque major materialitas in quantitate, quam in ipsa materia, quæ tamen naturaliter unitur animæ spirituali, & quamvis concedatur, ex anima illam educi non posse, cur educita è materia connaturaliter recipi in anima non poterit?

CONTRA. Quia si nihil obest, debemus proportionare subiecta & actus; nihil autem obest, si non ponatur quantitas in anima. Deinde sen-

sationes recipiuntur in materia organi, & nego quòd illud non reddant sentiens. De unione Materiæ cum forma dispar est ratio, quia obest illam non ponere, obest inquam ipsa ratio compositi substantialis, quæ supponitur dari & non perficeretur unione hac negata: sed de hoc fufius alias.

RESPOND. 3. Saltem falsam esse conclusionem in composito ex forma materiali, quæ etiam est capax quantitatis.

CONTRA est. Quia materia compositi humani est sufficiens ad recipiendam quantitatem: ergo & materia, quæ sustentat formam substantialem materialem. Deinde non apparet, quomodo attemperare receptionem suam possit materia, ut det locum receptioni perficiendæ, in forma substantiali.

PROBATUR 3. Quia nullum est fundamentum & nulla necessitas tribuendi hanc vim etiam formæ, vel enim est illa spiritualis, & sic incapax est quantitatis, quia alias dicam capacem frigoris & caloris, adeoque mutari illam per accidentia, consequenter nec erit necessitas contra communem Theologiam elevandi ignem ad urendas animas, siquidem calorem naturaliter recipere potest; vel certè illa forma esset materialis, & sic adhuc non posset recipere quantitatem, quia per illam redderetur impenetrativa, quomodo ergo uniretur omnibus partibus materiæ?

OBJICITUR primò. Auctoritas Aristotelis 7. Metaph. tex. 8. ubi censet Materiam non esse quid, neque quantum, &c.

RESPONDETUR. Illo loco vult Aristot. quòd Materia non sit quantitas, nec quid determinatum ad habendam non nisi quantitatem, sed esse subiectum istorum omnium. Vel dicit, materiam non esse subiectum denominationis accidentium, hoc enim competit ipsi composito.

INSTAT Mastrius Disp. 3. num. 4 ex aliis auctoritatibus.

PRIMA auctoritas. Prima substantia primò substat accidentibus, & ea corrupta nihil remanet: ex capite de Substantia.

RESPONDETUR. Loqui Aristotelem de subiecto denominationis, non autem de subiecto receptionis.

SECUNDUS Locus 1. de generat. tex. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subiectum alterationis est compositum, generationis materia prima.

RESPONDETUR. Aristotelem non plus velle, quam quod possit aliquid alterari, non generari, manente composito: sed inde non sequitur, alterationes illas non in materia, sed in composito, recipi.

TERTIUS Locus ex 7. Metaph. tex. 4. quod substantia à toto genere est prior accidente, & totum per se, supponitur toti per accidens.

RESPON-

RESPONDETUR. Quamvis ponatur sola materia receptiva formarum accidentalium, adhuc verum erit dicere substantiam esse priorem accidentibus, supponeturque totum per se toti per accidens, quia ipsum totum per accidens, exigitur ab ipso toto per se; exigitiva autem licet non Physicè, in ratione tamen exigitivorum, priora sunt præ exigitis, estque major proportio inter materiam & formam substantialem in ratione entis, sed non in ratione prius informabilis; nam forma præexigit ante se tanquam dispositiones accidentia, quæ jam tunc non nisi in materia recipi poterunt, antecedens enim compositum non exigit, sed supponit illas dispositiones, licet subiectum denominationis motus illius, sit compositum, quod, solum voluit Aristoteles 5. Phys. t. 3.

OBJICITUR secundò. Materia non potest recipere accidentia, quousque non sit subsistens: quia si actio subsistentiam agentis requirit & passum, sed materia non est subsistens quousque sit informata forma substantiali, subsistit enim subsistentia formæ. Ergo.

RESPONDETUR. Sicut per Thomistas ad receptionem formæ substantialis, non requirit Materia subsistentiam, cum illam primum per formam recipiat, sic nec requirit ad formam accidentalem. Neque valet si dicas: ad recipiendam subsistentiam non est necesse habere aliam subsistentiam, imò absurdum est illam habere: cum ergo forma substantialis det rationem subsistentis materiæ, non debet ante habere illam materiam. Non inquam valet si dicas, quia saltem prius naturâ deberet supponi subsistens quam recipiens formam, quia sicut præsupponitur prius natura ad actionem subsistentiam, ita debet præsupponi ante Receptionem; non posset autem prius natura supponi subsistentia ad receptionem formæ, si subsistentia habetur à forma. Deinde negari potest, quòd materia habeat subsistentiam à forma.

OBJICITUR tertio. Quantitas est proprietas totius compositi. Ergo recipitur in toto composito.

RESPONDETUR. Etiam intellectio dicitur de toto homine, & tamen non recipitur in corpore hominis, sufficit ergo ad hoc, esse unitum cum eo, quod recipit in se, vel intellectionem, vel quantitatem. Deinde, quantitas est proprietas totius hominis tanquam subiecti denominationis, non autem tanquam subiecti sustentationis, & inhætionis. Fundatur hæc responsio in textu Aristot. qui 5. Metaph. tex. 18. *Quædam*, inquit, *secundum accidens dicuntur quanta, eo quòd illud cui insunt quantum quid est. Nec obest*, quod prius sit ens per se, quam per accidens, hæc enim prioritas est secundum intentionem & dignitatem, non secundum executionem, Quamvis autem non recipiantur accidentia materialia in anima vel forma materiali, non frustra laborat,

dum se ad illa vult reducere, vel illa acquirere Forma, quia bonum materiæ cui illa unitur, est bonum formæ, per communicationem. Quamquam dici posset, quod formæ accidentales, pro quibus specialiter sollicita est forma substantialis, recipiantur in eadem forma substantiali, hæc enim non sunt dispositiones ad formam, adeoque præcedentes formam, sed potius passionem formæ.

OBJICITUR quartò. Anima rationalis quamvis recipiatur in materia quanta, quia non recipit in se quantitatem, non est quanta. Ergo & forma substantialis materialis, si non recipit in se quantitatem, non erit quanta.

RESPOND. Solet, negando causalem, sed ideo non est quanta, quia non habet partes entitativas. Sed quid si aliquis diceret, formas etiam materiales non esse quantas formaliter, ex eo, quia in se non recipiunt quantitatem, & si reciperent redderentur impenetrativæ corporis cui uniuntur; quamvis autem habeat forma materialis partes entitativas, & dividi possit in brutis, saltem imperfectioribus, non sequitur, debere jam esse illam formaliter quantam, quia albedo, sapor, &c. habent etiam partes suas entitativas, suntque formæ divisibiles, & tamen non habent propriam quantitatem, sed dividuntur & extendi dicuntur ad extensionem quantitatis ipsiusmer subiecti, illiusque quantitate quantantur, nec redduntur non penetrativæ, quia non habent quantitatem distinctam ab ipsamet materiæ, & tamen impenetratio debetur non nisi duabus quantitativis propriis, qualem habent propriam singulæ partes Materiæ.

OBJICITUR quinto Prado apud Oviedo: Ex accidenti & materia vel sit unum per se, vel unum per accidens: non sit unum per se; quia sunt partes diversi ordinis: non etiam sit unum per accidens; quia hoc debet reduci ad unum per se, adeoque accidentibus præexistet forma.

RESPOND. Negando quòd illud ad quòd reducit aliud, debeat præexistere illi; reduci enim est ordinari ad aliud, id autem ad quòd est ordo, non est necesse præexistere, nam omnipotentia dicit ordinem ad creaturas, quæ illi non præexistunt. Negatur ulterius, quòd istud reduci ad unum per se, sit reduci tanquam ad subiectum inhætionis, quamvis sit reduci tanquam in finem, Denique concedo, tunc fieri unum per accidens; transeat quòd præexistat unum per se, uni per accidens, sed inde nego sequi, quòd in toto illo præexistente, recipi debeant accidentia ad illud ordinata. Unde etiam quamvis forma substantialis, non uniatur media quantitate materiæ, hoc sensu, quia si per prius substantialis forma uniatur quantitati, per posterius materiæ: uniatur tamen media quantitate hoc sensu, quia præsupponatur, quantitas unita

unita materia ante unionem cum forma substantiali.

Pontius cum teneat in compositis constantibus rationali animâ, solam materiam esse subiectum quantitatis, censet in compositis aliis totum compositum esse subiectum: sed argumenta illius probant, etiam in compositis ex anima rationali recipi quantitatem. Quare autem etiam in talibus compositis non recipiatur quantitas, in utroque extremo ratio est: quia quod fieri potest per pauciora, frustra fit per plura, potest autem sola materia recipere illa accidentia. Nec est maior ratio de talibus, ac de constantibus animâ rationali; natura autem sui ordinis tenax, si in Uno recipit se sola quantitatem, recipit & in alio, præcipue cum etiam ad formas inanimatarum requirantur dispositiones, quæ antecedunt introductionem formæ, adeoque recipi in forma, non poterunt. In argumentis etiam aliquibus supponit distinctionem realem compositi, a partibus simul sumptis unitis. Concedimus tamen cum Aristotel. 5. Physic. tex. 8. & primo de Gener. tex. 24. per hoc distinguere generationem & alterationem, quod generatio pro subiecto dicat Materiam primam, non habentem adhuc formam, quæ generatur. Posterior autem supponit Materiam informatam jam forma substantiali; sed nego illam recipere debere illas alterationes, recipit quidem immediatè Materia formam substantialem, quia si illam immediatè non reciperet, non haberet forma aliud subiectum, cum quo posset componere immediatè totum substantiale, bene autem quantitas non recepta in utraque parte compositi, habebit adhuc suum subiectum, ipsammet materiam. Supponit etiam, sed immeritò, Pontius, quasi quantitas non sit dispositio ad quascunque formas, cum agens illas introducens connaturaliter in subiectum non extensum agere non possit.

Alia argumenta in oppositum.

Obijcit sextò Mastrius. Si materia est subiectum inhesionis omnium accidentium, ergo nullus motus erit violentus, quod est contra omnem Philosophiam. Sequela probatur. Quia materia nullam formam recipit violenter, & tamen motus dicitur naturalis vel violentus, juxta inclinationem vel repugnantiam subiecti.

RESPONDETUR. Motum aliquem esse violentum, non subiecto illius immediatè receptivo, sed composito, in quo continetur recipiens, quod compositum habet jus, ut in se contenta materia, insidias sibi non struat, receptione contrariæ sibi formæ accidentalis.

INSTAT primò Mastrius. Ergo motus ille simpliciter vel per se erit naturalis, secundum autem quid violentus.

RESPONDETUR. Cum stante composito ipsum compositum habeat rationem per se & simpliciter, & cum ille motus sit illi composito violentus, ideo non erit jam ille motus naturalis, sed simpliciter violentus; secundum autem quid, hoc est, secundum subiectum in quo recipitur, naturalis.

INSTAT secundò idem. Violentia & naturalitas in motibus simpliciter & per se attenditur, in ordine ad id, quod per se movetur, non in ordine ad id, quod movetur per accidens & ratione alterius.

RESPONDETUR. Per se moveri duplex cogitari potest. Primum per se moveri, est moveri in se recipiendo motum subiectivè, sic per se moveri non competit composito. Deinde per se moveri, est moveri id, quod habet rationem principalis, in se stantis, adeoque talis, simpliciter, licet non recipientis illum motum, nisi in aliquo sui, tale per se moveri competit composito: illud enim habet rationem principalis & in se stantis, cumque non nisi ratione alterius, hoc est materiæ, debeat ille motus esse naturalis, hoc ipso per accidens, seu ratione alterius, erit naturalis, per se violentus.

INSTAT tertio. Si mobile per se habeat inclinationem ad illam formam, motus est naturalis simpliciter; si repugnantiam est, violentus. Sed mobile per se per nos est materia: Ergo motus ille erit per se naturalis.

RESPONDETUR. Mobile per se est duplex, ut dictum: mobile per se, id est quod movetur, & habet rationem talis simpliciter & per se, & tale est compositum; aliud est mobile per se, quod per se & in se recipit, & hoc est materia, inclinatio autem debet pensari, illius per se, primo modo sumpti, quam quia non habet, erit necesse, ut ille motus sit violentus; cum enim ipsum compositum habeat rationem principalis, etiam ejus inclinatio habebit rationem principalis, & quia ipsum compositum ad illum motum non habet inclinationem, ideo fiet ille motus contra inclinationem principalis, adeoque simpliciter violentus erit.

Obijcit septimò. Anima non est immediatè receptiva visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima & determinata parte corporis, quod organum seu oculus videt.

RESPONDETUR. Quando dicitur, quod oculus videat, dicitur id de oculo, tanquam de subiecto denominationis, quod scilicet visio toti organo tribuatur, non autem de subiecto receptionis, vel alia phrasi certe est id verum, de subiecto recipiente denominationem, & hoc subiectum est compositum, quod est oculus, non autem de subiecto recipiente formam.

INSTAT primò. Illæ operationes sunt totius conjuncti, ut principii operativi: Ergo etiam erunt totius, ut subiecti recipientis,

RESPONDETUR. Etiam operationes sunt totius conjuncti, ut principii operativi denominativè, non autem elicitive, cum enim materia oculi non sit vivens, non poterit moveri ab intrinseco ad visionem, sed hoc competit animæ, licet in oculo exercere; consequenter totum illud quod est oculus, erit principium operativum denominativè, non elicitive, ita & erit oculus principium receptivum denominativè, non formaliter, & ut salvetur quod non recipiatur in passo ab agente diverso, sufficit quod ipsum agens, quod est anima, sit conjunctum receptivo principio, imò ipsa utpote spiritualis, non potest esse capax receptionis materialium. Per hoc tamen non negatur, oculum esse instrumentum visionis.

INSTAT secundò. Ergo operationes illæ non dicuntur cum omni proprietate immanentes, quamvis enim non recipiantur in passo ab operante diviso, recipiuntur tamen in passo distincto.

RESPONDETUR. Negando, quod non sufficiat ad propriam immanentiam, ne actio recipiatur in passo diviso, modo sit unitum substantialiter agens ipsi passo, præcipue autem quia adhuc recipitur in oculo, qui est instrumentum agendi.

INSTAT tertio. In eodem subjecto recipitur species impressa & expressa, sed species sensibilis impressa recipitur in toto conjuncto, & species intelligibilis recipitur in intellectu.

RESPONDETUR. Etiam species impressa sensibilis, non nisi in Materia recipitur, si tamen sit species impressa intelligibilis, recipitur in intellectu seu anima; sed inde non sequitur recipiendam in anima etiam speciem sensibilem, quia jam Materiale reciperetur in spirituali, quod repugnat. Quod autem dicit, non excludi ne aliquid sit subjectum denominationis, quod est subjectum inhaesionis, id verum est, sed negatur non posse esse aliquid subjectum denominationis, quamvis non sit subjectum inhaesionis, consequenter poterit totus oculus denominari videns, quamvis oculus non totus recipit visionem, sed non nisi secundum aliquam sui partem, ut nasus recipit solus similitudinem, & tamen homo appellatur simus.

Punctum Difficultatis 2.

An accidentia Materia subjectet in genito, quæ fuerunt in corrupto?

TItulum sic alii proponunt: An detur resolutio usque ad materiam primam. Nestitur autem difficultas, cum priori sic, si in materia reciperentur accidentia & non in forma, tunc eadem numero Materia posset sub aliam etiam

formam accidentia eadem deferre numero: sed non potest deferre eadem, qui datur resolutio ad Materiam primam. Ergo. Ut titulo argumentoque satisfiat,

DICENDUM est. *Aliqua accidentia eadem esse numero sub utroque mutationis termino*, vel alia phrasi: Non dari resolutionem ad materiam primam. Ubi conclusio negat minorem argumenti adlati.

PROBAT primò Oviedo: Si deficerent accidentia omnia præcedentis compositi, vel deficerent ob defectum causæ conservantis, vel ob contrarietatem cum forma opposita, vel ob defectum subjecti; nullo modo ex his debent deficere, quod probatur, quia accidentia communia causam sui conservativam habent Deum. Rursus accidentia communia, cum subsequenti forma non habent contrarietatem, imò sunt bonum illius requisitum, hinc in sententia Thomistarum, similia succedunt illis accidentibus alia, non etiam deficiunt ratione subjecti, quia hoc utrobique idem est, nempe materia. Deinde ad hoc, ut dicantur eadem accidentia non deficere deficiente subjecto, sufficit ut subjectum adveniat novum, potens ad illa servanda, ut defacto est potens per Thomistas, similia accidentia conservare.

Hoc ipsum sic aliter illustrat. Non minus dependet accidens à principio activo, quam passivo, sed succedente alio principio effectivo, potente aliàs ponere similem effectum, potest conservare antecedentem effectum, ut patet in calore, qui ab antecedenti igne productus, conservatur à subsequenti. Ergo succedente etiam alio principio passivo, potente subjectare, similia accidentia ab eodem conservari poterunt.

RESPONDETUR I potest huic argumento. Procedit argumentum, supponendo cum Thomistis, quod in toto composito subjectentur accidentia, & nihilominus non sequi, quod eadem accidentia non maneant in utroque mutationis termino. Sed multum probat, quia probat accidentia posse de subjecto in subjectum transire eadem numero, quod & Thomistæ & communis Philosophia negat: non negat autem, quod à diversis agentibus in genere causæ efficientis conservari posset, cum id etiam à posteriori pateat in conservatione caloris, quam exhibet Deus a motu igne, nihil autem simile videmus de transeundo subjecto in subjectum.

ADDIT Arriaga, quod si accidentia possent mutare subjectum inadæquatum, possent etiam mutare adæquatum, sicut causa efficiens, quæ succedit, non tantum partialiter, sed & totaliter potest causare effectum, à præcedenti causa productum. Sed Hurtad. apud Oviedo censet id fieri posse, modo novum subjectum applicetur, hæc tamen concessio Hurtadi est contra receptum principium, accidentia de subjecto in subjectum non transire.

Sed

Sed quæ ratio assignanda foret, quòd accidentia de subiecto in subiectum transire non possint.

PRIMA RATIO assignari posset auctoritas.

RESPOND. Huius ipsius auctoritatis requiri rationem.

SECUNDA RATIO, quia illa accidentia vel potest producere agens, vel non potest, si potest: potius nova producet, idque ob bonum universi confurgens ex varietate & novitate entium; si autem non potest similia producere, vel sint communia, debet illa servare.

RESPONDERI potest: Primam partem multum probare, quia probaret, quòd ignis subsequens antecedentem calorem non conservet, sed producat novum; secunda pars etiam non convincit, quia si non potest illa producere, vel illa sunt communia, cur illa transferre non poterit de subiecto in subiectum.

TERTIA RATIO sit, quia non apparet, quæ sit, qualis, & quomodo perficienda actio translativa accidentium, destructiva unionis antecedentis, quæ tamen in accidentibus communibus non est contraria, sicut nec ipsa accidentia sunt contraria, cum tamen ordinata sit actio ad opposita debellanda: denique cum accidentia educuntur à potentia subiecti, bonum non nisi illius debent esse, ex quo educuntur hinc & subiectum è quo educuntur, petit ne bono suo spoliatur, & subiectum subsequens petit, ut è se educatur, ut sint bonum illius, & ne frustretur felicitate, ut sua vis passiva reducat in actum, per educationem ex se horum accidentium, ideo è subiecto ad subiectum non transferentur, imò minueretur miraculum Eucharisticum, si accidentia à subiecto separari possint, cum vi transferendi illa in aliud subiectum.

PROBARI solet secundò. Videmus accidentia, quæ fuerunt in corrupto, manere in genito, vel quæ fuerunt in vivente, manere in cadavere; ergo apparet, quòd non fuerit facta resolutio usque ad materiam primam.

RESPONDENT Thomistæ, non esse eadem accidentia, sed similia.

CONTRA, quia nulla ratio est, quòd sint similia & non eadem, cum id nec ratio nec experientia ostendat.

PROBATUR tertio Conclusio. Et esset resolutio usque ad materiam primam, & non esset: esset, ut supponitur; non esset ut probatur: quia vel unitur Forma subsequens materiæ dispositæ vel indispositæ; si dispositæ, ergo invenit illic dispositiones, adeoque non venit ad materiæ resolutam, seu carentem etiam accidentibus; si unitur indispositæ materiæ, ergo non unitur naturaliter, quia forma non educitur nec creatur, nisi ad exigentiam, & præsuppositis dispositionibus.

RESPONDETUR. Primò Rubio, quòd antecedentia dispositionum, quæ pro illo instanti non sunt, expellat formam priorem, quam expulsiōnem non potest non sequi nisi hæc forma.

CONTRA. Tum quia hæc, quæ non potest non sequi formam, vel invenit materiam dispositam, vel non, reditque argumentum factum. Tum quia expulsiō formæ est negatio, seu non esse formæ; negatio autem formæ non exigit magis hanc quàm illam formam, ergo neque expulsiō: & certè negatio illa formæ nihil aliud est, quàm ipsa materia spoliata formâ & dispositionibus, sed materia spoliata omni forma & dispositionibus, non magis hanc quàm illam formam exigit, utpote nec ex se nec ab extrinseco, pro tunc determinata, ad hanc potius quàm illam formam habendam. Tum quia in quo instanti est expulsiō formæ, vel sunt in illo instanti dispositiones, vel non sunt. Si non sunt; ergo non expellunt formam, quia existentia est ad causandum necessaria; Si autem in illo instanti, in quo est expulsiō formæ, sunt dispositiones, ergo in illo instanti sunt, in quo est non esse formæ; quia expulsiō formæ, est non esse formæ, & tamen responsio dicebat, quòd non sint tunc dispositiones ullæ. Unde ulterius non datur resolutio usque ad materiam primam, quando adhuc est præterita forma, nec etiam cum jam est sequens, nec præterlabitur ullum instans, quò sit materia sine forma substantiali; ergo nunquam datur resolutio ad materiam primam, ergo nō potest dici, quòd pro aliquo instanti non sint dispositiones, prout assumebat responsio.

RESPONDERI potest secundò. Expulsis accidentibus, & datâ resolutione usque ad materiam primam, in ipso instanti inductionis considerari posse duo instantia rationis. In primo instanti rationis causantur dispositiones, & in secundo signo rationis causatæ jam disponunt, ad introductionem.

CONTRA. In illo priori rationis, vel causantur illæ dispositiones à composito, vel non à composito: si causantur à composito, ergo in illo priori rationis est compositum sine dispositionibus, quas tū primū causat compositum; si autem non causantur à composito, ergo nullum est fundamentum, dari resolutionem usque ad materiam primam, cum inferatur resolutio ex eo, quòd causentur à composito: & sicut effectus, quo est prior causalitas prioritate à quo, non potest causare suam causalitatem, quia esse accipit à causalitate; ita nec dispositiones in suo genere, possunt deservire ad productionem formæ, consequenter ad constitutionem compositi, si à forma & composito accipiunt esse, causanturque. Et certè in illo priori rationis, quò compositum causat dispositiones, vel censetur prius ratione habere requisita ad suum esse, vel non censetur habere; si non censetur habere, ergo neque est compositum, quia causa & requisita antecedunt saltem ratione id, ad quod requiruntur, & quod causant, si in illo priori rationis, in quo compositum censetur causare dispositiones, habet prius ratione requisita ad suum esse, ergo in illo

† k 2 priori

priori rationis, quo causat dispositiones, prius ratione sunt, dispositiones; sunt enim illæ requisita ad compositum. Rursus, vera est per Thomistam hæc propositio; ante primam existentiam compositi non est prius ratione existentia dispositionum, causatur enim à composito: Vera etiam est hæc propositio: ante primam existentiam dispositionum non est existentia compositi: Forma enim unitur Materiæ dispositæ, quo posito sic arguitur, Causa saltem ratione debet esse prior suo effectui, sed existentia compositi non est prior dispositionibus; Ergo neque potest esse causa illarum. Denique de illo priori rationis, in quo compositum dat primam existentiam dispositionibus, verificarentur duo Contradictoria, ergo illam non dat. Antecedens probatur: de illo priori verum est dicere; prima existentia dispositionum non antecessit ratione sui positionem, & rursus verum esset dicere: prima existentia dispositionum, antecessit prius ratione sui positionem: quod ipsum probatur, quia antecessit ipsum compositum, quod compositum causat illas dispositiones.

Quando autem Aristoteles dicit, nullum sensibile subjectum manere idem, intelligendus de subjecto denominationis, in quantum illud sentitur; sed non dicit non manere idem, quod est medium & ratio sentiendi ipsum subjectum, seu non manere accidentia communia: & licet subjectum informationis & inhaesionis accidentium, sit ipsa & sola materia, non tamen sola materia est subjectum, in cuius cognitionem sensibilem, mediis accidentibus venit, neque enim videmus materiam primam, sed Leonem, hominem, &c.

Punctum Difficultatis 3.

An mediante quantitate Materia recipiat Accidentia.

Censent mediante quantitate illa recipi, Suarez, uterque Oviedo, Lugo de Eucharia Diss. 10. n. 7. negant non pauci, quibus accessit Arriaga, Pontius & alii.

DICENDUM est I. *Accidentia posse recipi immediate in quantitate.* Probatur unico argumento. Quia in hoc nulla repugnantia.

OBJICIT I. Hurtad. Munus quantitatis est solum extendere subjectum: ergo non poterit recipere immediate accidentia.

RESPONDETUR. Negando Antec. Saltem etiam secundario, hoc potest illi convenire.

INSTAT Primò idem: in qualitatibus primis non recipiuntur accidentia; ergo nec in quantitate.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia pro antecedenti nullum fundamentum,

infra autem adferetur fundamentum pro consequenti.

INSTAT Secundò idem. Dispositiones disponunt materiam ad formam substantialem; ergo debent esse in eodem subjecto, in quo & forma substantialis.

RESPONDETUR. Sufficere, ut mediata recipiantur in eodem subjecto, & si dispositiones sunt nonnisi determinantes materiam ad formam, possunt esse in alio subjecto à forma, quia determinativa, non est necesse esse in eodem subjecto, quod determinant.

INSTAT terciò idem apud de Lugo, intellectio recipitur in eodem subjecto, in quo & volitio, ad quam intellectio est dispositio; ergo & reliquæ dispositiones recipiuntur in eodem subjecto, in quo recipitur forma, ad quam disponunt.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia cum potentia animæ sint identificata realiter, si recipit aliquid potentia intellectiva, recipit hoc ipso etiam voluntas, idque immediate, hinc non est, in quo tanquam distincto à voluntate possit recipi intellectio; jam autem ostendi potest, in quo, distincto à materia, recipiantur dispositiones, nempe quantitas.

OBJICIUNTUR Secundò Paritates aliquæ. PRIMA Paritas est: Forma substantialis non recipitur in quantitate; ergo nec accidentalis.

RESPONDETUR. Pro antecedenti nullum fundamentum esse, quod adferetur pro consequenti. Deinde formæ substantiales ordinatae sunt ad constituendum unum per se substantiale, quod non possunt constituere cum quantitate, seu subjecto accidentali: tale autem vel simile absurdum, non sequetur, posito quod quantitas recipiat accidentia: & licet Formæ accidentales dicant ordinem ad materiam, dicunt tamen ordinem ad illam, tanquam ad subjectum ultimum, sed non tanquam ad subjectum immediatum, unde licet illarum subjectivum non posset esse nisi subsistens, id verum est de subjectivo ultimato, non autem de immediato, & quidem respectu formarum accidentalium.

SECUNDA Paritas. Substantia non potest inherere; ergo neque accidens subjectare.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia inherencia, est proprietas adstricta soli rationi accidentis, facit enim inherens, non esse ens per se: jam autem ratio subjecti non est adstricta soli rationi substantiæ, neque enim ostendi potest, cur ratio recipientis invehat prædicatum entis per se.

TERTIA Paritas. Materia non potest informare; ergo neque forma recipere.

RESPONDETUR Pontius, Disparitatem esse, quia non est de ratione solius materiæ recipere, est autem de ratione solius formæ informare. *Hæc*

Responsio

Non

NON SATISFACIT: De hoc enim ipso quaeritur.

Hinc aliter respondetur. Argumentum impri-
mis multum probare. Probaret enim, quod in
anima, quæ est Forma, non recipiantur intelle-
ctiones, volitiones, gratia &c. Deinde dispari-
tas est, quia quod est pura potentia, non potest
esse actus, adeoque Forma; jam autem Forma
non est purus actus, hinc ei ratio aliqua potenti-
alitatæ convenire potest, ut apparet etiam in
potentiis vitalibus, producentibus & connatu-
raliter recipientibus suos actus. Rursus, si ma-
teria informaret, extraheretur extra suam spe-
ciem, ponereturque in specie Formæ, si autem
Forma causet materialiter, non extraheretur ex
sua specie; nam causare materialiter non est ad-
strictum soli entitati materiæ, sed cuicunque
entitati, à qua in esse & conservari connatura-
liter dependet aliquid: jam autem informare,
adstrictum est nonnisi entitati Formæ, cui enim
alteri? Denique, quia quantitas, cum sit passio
dimanans à materia, bene participare poterit
cum suo principio, saltem in ratione causæ mate-
rialis. Materia autem non est dimanans à for-
mā, nec habet quare participet rationem ac-
tus.

OBJICITUR tertio. Quod dependet depen-
dentiā unius generis, non potest terminare depen-
dentiā alterius, in eodem genere: quan-
titas dependet à materia in genere causæ mate-
rialis.

RESPONDETUR. Negando maiorem: nam qui
habet Patrem, potest esse Pater, vel major est
vera hōc sensu; id quod dependet, non potest
terminare dependentiam in eodem genere, &
secundum eandem rationem; licet possit ter-
minare secundum diversam rationem, & ita
non secundum quod aliquis Patrem habet, est
Pater. Porro etiam quantitas non secundum
quod recipitur in materia, recipit accidentia,
sed secundum vim aliam receptivam, termi-
nabit dependentiam aliorum accidentium;
quam vim in quantitate non reperiri, argumen-
ta non evincunt.

DICENDUM est 2. *Accidentia de facto recipi
in quantitate.*

PROBAT primò Pontius. Quia id non repu-
gnat, ut vidimus, nec impedit quidquam, quo-
minus id de facto fiat: Ergo censendum est ita
fieri.

RESPONDETUR. Retorquendo argumen-
tum: non repugnat, accidentia immediatè re-
cipi in materia, quæ enim in hoc implicantia,
nec impedit quominus id de facto fiat; ergo
censendum est ita fieri.

PROBAT secundò de Lugo, quia nisi ponatur
quantitas esse subiectum accidentium, expli-
cari non potest, quomodo motā quantitate à
Sacerdote moveantur alia accidentia; quia mo-
tā quantitate, vel moverentur accidentia im-

mediatè à Deo ad occultandum hoc mysteri-
um, vel per virtutem superadditam quantitati,
ad illa secum trahenda: neuter hic modus ex-
plicat connexionem debitam inter istos motus.
Minor probatur. Si Deus movet alia accidentia
motā quantitate à Sacerdote, non apparet, quo-
modo dicatur Sacerdos verè movere, & degluti-
re hostiam, hæc enim significant motum locale
provenire ab ipso Sacerdote; & si propriè non-
nisi quantitatē movet sacerdos, propriè degluti-
ret solam quantitatē, non alia accidentia:
si autem moventur alia accidentia, ob superna-
turalem virtutem traditam quantitati, ad illa se-
cum trahēda, cum quantitas de se neque sit gra-
vis, neque levis, & aliunde in se non habent re-
ceptam gravitatem, non posset secum trahere
alia accidentia, quæ nec recipit, nec ipsa una
cum ipsis est in aliquo uno, quò motò reliqua
moveantur trajicienda & deglutienda, cum ipsa
quantitas de se sit indifferens ad motum sursum
vel deorsum. *Hoc ipsum sic ulterius proponit.* Gra-
vitas specierum transmissibilis in stomachum,
vel est quid superadditum, vel quid aggregatum
ex accidentibus: si est quid superadditum, ergo
sola descendet, & non trahet secum alia acci-
dentia, quæ nec recipit, nec ipsa cum ipsis est, in
aliquo uno, quo moto reliqua moveantur; si est
quid aggregatum ex accidentibus, & non reci-
pantur in aliquo communi, quomodo unā gra-
vitabunt? & si partialiter gravitant, cum non
omnes æqualiter secundum se gravitent, non
omnes descendent simul.

RESPONDERI potest, huic argumento, quòd
Deus supplendo in Eucharistia defectum mate-
riæ, tribuat quantitati vim, ut id quod præsens
materia recipiens accidentia faceret, idem sine
receptione & sine materia fiat. Unde Sacer-
dos non præcisè tantum quantitatē movet,
sed quantitatē prout habentem virtutem, ut
id quod præstaret præsens materia, fieri possit
illā absente; licet ergo quantitas neque sit gra-
vis, neque levis, quod etiam materiæ de se non
convenit, quia tamen habet virtutem, quæ facit
illam id præstare, non receptis accidentibus,
quod præstaret materia recipiens accidentia,
ideò motā quantitate moventur & accidentia.
Et sicut gravitas recepta in materia, traheret se-
cum accidentia reliqua, ita non recepta in
quantitate facit idem, DEO dante virtutem
quantitati, ut id fiat absente materiā, quod fie-
ret præsentē. Insuper adhuc, verè censebitur
Sacerdos deglutire hostiam, quia illam virtute
suā propria transmittit in stomachum; an au-
tem transmissio respectu specierum, fiat ob re-
ceptionem in subiecto communi, aut non in
subiecto communi: non refert ad deglutiendū.
Et certè possibile est non recipi accidentia in
quantitate, vel impediri receptionem, & tamen
deglutiri illa accidentia, neque enim evacuare-
tur Divina potentia, ad faciendum transmitti

accidentia per verum deglutendi actum, quantumvis in materia non reciperentur. Rursus posita sola unione reliquorum accidentium inter se & cum quantitate gravitateque, salvari poterit tota transmissio & actus deglutendi.

PROBATUR tertio. Quamvis non repugnet, ut materia immediatè recipiat accidentia, quia tamen etiam non repugnat, ut immediatè etiam quantitas recipiat accidentia, & id commodius est, ad explicanda mysteria fidei: Ergo potius censendum immediatè illa in quantitate recipi, cum mysteria fidei, quantum fieri potest, facilitanda sint. Antecedens probatur: Illud quod non implicat fieri naturaliter, non est attribuendum miraculo; sed ut species Sacramentales calefiant, frigeant, moveantur ad motum quantitatis, non implicat hoc fieri naturaliter. Ergo hoc miraculotribuendum non est. Sed nisi ponatur quantitas recipere accidentia, calefieri & frige fieri non possent species sine miraculo, Ergo. Certè enim non repugnat educi, Accidentia illa, ex quantitate secundum vires naturæ spectata, tanquam ex subiecto immediato, cum non implicet quantitatem esse subiectum immediatum accidentium; si autem non educerentur ex quantitate, non educerentur ex subiecto, cum nullum illic sit subiectum, consequenter non nisi creari deberent, & tamen nulla creatura censetur assumpta ad aliquid de novo creandum, cumque illic ad positionem ignis fiat calefactio, desinat ad ejus amotionem, dicendus erit ille calor non produci à Deo, sed ab igne. Rursus sine miraculo non posset albedo emitte suas species, quia accidentia non possunt operari absque subiecto, consequenter cum id de facto fiat, multiplicabis miracula sine necessitate.

DIFFICULTAS III.

Quid rationem causæ materialis exercere possit.

QUÆRES primò. An res spiritualis rationem causæ materialis exercere possit.

ASSERO primò. *Accidentia spiritualia causari materialiter à substantia spirituali.*

RATIO. Quia substantiæ spirituales creatæ non seipsis immanenter agunt, sed per distinctas actiones, quæ sunt accidentia, quæ nec fieri nec conservari possunt, nisi dependenter ab ipsis potentiis, ut patet in actibus intellectus & voluntatis, hæcque ipsa accidentia indigent subiecto. Ergo apparet illa causari naturaliter à substantia spirituali. Deinde accidentia spiritualia indigent etiam subiecto, sed non alio quàm spirituali, quid enim materiale in Angelo & licet quidem in homine corpus sit materiale, si tamen

possit tribui accidentibus subiectum proportionatum,tribuendum erit.

ASSERO secundò. *Substantias spirituales completas, non esse subiectum naturale accidentium materialium.*

RATIO. Tum quia naturaliter illis non indigent: Ergo nec debuerunt esse naturale subiectum illorum. Tum quia hoc ipso quod sint substantiæ completæ spirituales, non dicunt ordinem ad aliquid materiale, dicerent autem, si subiectum connaturale accidentium materialium essent; & sicut substantia materialis completa, hoc est constans etiam materiali forma, non dicit ordinem ad ullum subiectandum accidens spirituale, ad quod enim? ita & substantia spiritualis completa, non dicit ordinem ad accidens materiale. Tum quia respectu eorum accidentium subiectum aliquod exercet rationem causæ materialis, quæ accidentia educuntur ex illo, materialia autem accidentia, non educuntur naturaliter à subiecto spirituali cum inter manifestè educta servetur proportio in ratione entis. Esset aliqua difficultas, an non sensationes recipiantur in anima rationali? sed ex dictis inferendum, non recipi, nisi in organo conjuncto, quod sufficit ut dicatur anima sentire, præcipue cum per nos ratio sentientis non desumatur ex receptione, sed ex productione, de quo in Animasticis.

ASSERO tertio. *Substantiam etiam completam spirituales, posse divinitus exercere rationem causæ materialis, respectu accidentium materialium.*

RATIO. Tum quia non implicat contradictionem, ut v. g. albedo uniatur Angelo. Tum quia si quæ esset causa, cur id fieri non possit, ea esset, quia albedo effectum suum formalem non tribueret Angelo; sed hoc non obstat, quia effectum formalem intrat etiam subiectum capax denominationis, quale subiectum non est Angelus, cur ergo non sufficiat hic solus effectus formalis, qui est: facere subiectum habens accidens materiale. Tum quia si potest Deus spoliare materiam omni quantitate, redigereque illam in punctum, quod etiam potest facere accidenti, cur illud saltem ita redactum in punctum, non poterit ponere in Angelo?

QUÆRES secundò. *An accidenti spirituali possit causari à subiecto materiali?*

ASSERO primò. *Non posse naturaliter.*

RATIO. Quia si nihil obstat, in eo debet recipi connaturaliter accidens spirituale, unde educitur, cum ratio causæ materialis educationem consequatur, accidens autem spirituale, utpote perfectius in ratione entis, non educitur materia.

ASSERO secundò. *Posse divinitus id fieri, ut accidens spirituale uniatur subiecto materiali.*

RATIO. Tum quia id non implicat. Tum quia si naturaliter potest anima spiritualis, dicere ad

re ad corpus rationem unibilis, saltem id divinitus dicere poterit accidens. Tum quia difficilius est poni accidens materiale in subiecto spirituali, debet enim modo sibi non connaturali poni, modo nempe indivisibili, & tamen hoc fieri potest, ergo poterit & accidens spirituale poni in subiecto materiali, in quo poni poterit indivisibiliter, sicut ponitur & anima.

ASSERO tertio. *Si quaesiti sensus sit: an accidens in genere etiam causa efficientis, possit produci divinitus à subiecto Materiali, id etiam tenendum erit.*

RATIO. Quia etiam id non implicat contradictionem, videnda ea quæ dicuntur in prima parte, an oculus corporeus possit elevari ad videndum Deum, & in materia de Sacram. Ubi de potentia obedientiali.

QUÆRES tertio. *An & in quo genere causa Deus supplere possit causalitatem cause materialis?*

ASSERO primo. *Possè Deum supplere causalitatem cause materialis.*

RATIO. Tum quia defacto id præstat in Eucharistia: Tum quia præstaret concursum conservativum formæ materiali, qui præstari non deberet, nisi exigente materia, ut secum unita non nisi coexistat, est suppleri causalitatem causæ materialis: hoc enim intelligimus per hoc supplere, sed id non implicat Deum præstare. Ergo. Tum quia potest Deus supplere defectum aliarum causarum; Ergo & defectum causæ materialis.

ASSERO secundò. *Non possè id Deum præstare in genere cause materialis.*

RATIO. Quia ratio causæ materialis & causalitatis ejusdem, stat in influxu, qui præstatur, eo quod habeatur jus, ut non nisi in subiecto unita existat forma; Deus autem tale jus, ut in illo tanquam subiecto aliquid existat, dicere non potest: neque enim potest mutari Deus per ullam alicujus receptionem. Nec etiam potest supplere Deus defectum causæ materialis, dando se in partem: nam præter hoc, quod Deo ratio partis convenire non possit, est & alia causa, quia quando aliquid dicitur suppleri, debet id facere quod faceret aliud, non posset autem Deus id facere in composito, quod faceret illud, cujus Deus suppleret locum, quia illud, quod faceret illa creatura in composito, non esset aliud quam datio entitatis suæ; jam autem sicut entitas Dei, non est entitas creaturæ, ita nec datio entitatis Divinæ, erit datio entitatis creaturæ. Imò universaliter à nullo heterogeneo potest suppleri compositio, unumquodque enim heterogeneum, non id, sed diversum esse conferret, ab eo, quod adferret aliud, in compositionem; in homogeneis autem licet suppletur uno defectum alius, non sit constituendum idem adæquatè numero compositum, constituetur tamen idem formaliter & specificè.

ASSERO tertio. *Possè id Deum præstare in genere cause efficientis.*

RATIO. Tum quia hoc, quod Deus in extrinsecis facit, & non seipso, semper est in genere causæ efficientis: Ergo si supplere potest defectum causæ materialis, supplere debet in genere causæ efficientis. Tum quia exhibitio concursus conservativi, qui exhiberetur supposito influxu causæ materialis, est suppletio in genere causæ efficientis, cum conservatio sit effectio- nis species: sed potest Deus talem concursum exhibere; Ergo & supplere defectum causæ efficientis. Tum quia ubicunque miraculum intervenit usus omnipotentiae, intervenit ratio efficientis: nam omnipotentia est executrix & effectiva divina, sed supplete Deo defectum causæ materialis, intervenit miraculum. Ergo & usus omnipotentiae seu effectivæ Divinæ.

DICES primò. Si Deus non potest supplere defectum causæ materialis, non posset etiam divinitus fieri, ut duæ formæ eandem materiam informant.

RESPOND. Sufficit ad hoc, ut suppleat Deus defectum causæ materialis in genere efficientis, idque non hoc sensu, quasi capacitatem der materiæ, quia capacitas Materiæ est entitas materiæ, quæ non ponitur alia, quàm præhabita: sed hoc sensu, quia supposito, quod non implicet divinitus capacitatem Materiæ, extendi ad duas formas, præstat Deus concursum, & coeffectivum & conservativum, illarum formarum.

DICES secundò. Causæ subordinatæ sunt in eodem genere cum subordinantibus, habent enim se per modum causæ particularis ad universalem, particularia autem sunt in eodem genere cum universali; sed causa materialis est subordinata: Ergo & subordinans, qui est Deus, debet in eodem genere cum illa concurrere.

RESPOND. Causæ subordinatæ cum causa subordinante secunda transeat quod debeant esse in eodem genere, sed non cum causa prima subordinante & talem subordinationem in eodem genere, non dicit materia ad Deum, cum Deus non sit natus quicquam seipso componere, vel esse subiectum aliquid exigens.

DICES tertio. Causalitas causæ efficientis non potest suppleri à Deo, nisi in genere causæ efficientis: Ergo & causalitas in genere causæ materialis, non poterit suppleri, nisi in genere causæ materialis.

RESPONDET recentior Suar. Disparitatem esse, quia modus agendi in genere causæ efficientis, est nobilior cæteris, proinde à nullo alio suppleri potest; causa autem materialis, utpote ignobilior, suppleri potest à nobiliori.

Hæc responsio

NON SATISFACIT, quia multa etiam ignobiliora possunt supplere defectum nobilioris, v. g. argentei nummi defectum aureorum.

Disparitas potius in hoc est, quia supplente Deo defectum causæ efficientis, in genere causæ efficientis, non extrahitur Deus extra modum suum operandi ad extra, servatque tenorem, operandi miraculosè: extraheretur autem, si suppleret causæ materialis defectum in genere causæ materialis. Deinde, quia nullum est absurdum pro antecedenti, & tamen est absurdum pro consequenti, de quibus asserto secundò; hinc non mutaretur Deus, supplendo in genere causæ efficientis, mutaretur autem, supplendo in genere causæ materialis defectum causæ materialis.

DICES quartò. Causa materialis potest elevari à Deo, ut instrumentum ad causandum materialiter, ut cum causat lumen gloriæ materialiter, hæc autem causalitas non potest intelligi, nisi concurrat Deus in genere eodem, quia instrumentum in eodem genere causat cum suo principali.

RESPONDETUR. Calor, qui disponit ad ignem, est instrumentum ignis: nemo tamen dicit, quòd calor respectu generandi ignis, sit causa materialis.

DICES quintò. Potest Deus causare materialiter quin recipiat, quia defacto concurrente cum intellectu & voluntate operatur immanenter, quin recipiat intellectiones, & sicut cooperans efficienti corporeo, non tangit passum, sufficitque quòd agens creatum tangat, ita nec reciperet agens materialiter, sed sufficeret, quòd reciperet causa materialis.

RESPONDETUR. Negand. imprimis Deum in intellectu creato, à parte sua, operari immanenter, cum non operetur ad intra suum, sed

tantum operatur rem immanentem alicui, quod sibi extrinsecum est.

Deinde disparitas est, quia cooperatio non definitur per dare se in partem, vel per exigere, ut in illo, tanquam in subiecto, res existat; causare autem in genere causæ materialis, definitur per ly dare se in partem, & per ly exigere, ut in illo tanquam in subiecto res existat: quia autem Deus non potest exigere, ut aliquid in illo tanquam subiecto existat: ideo non potest supplere causalitatem in genere causæ materialis.

DICES sextò. Materia potest recipere, quin sustentetur, ut patet in anima rationali: Ergo & è contra potest Deus sustentare quin recipiat.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nullum est absurdum, ut habeat unitam formam, quæ conservari possit naturaliter sine se, hoc autem est recipere, & non sustentare; repugnat autem Deum sustentare, quia quod sustentat, est verè subiectum actuum à Forma, Deus autem non potest esse subiectum actuum à Forma, aliàs mutaretur.

ADDENDUM est, quòd quando dicitur non recipi forma materialis, non hoc sensu dicitur, quasi de novo non actuet, nec uniat, sed quòd non sit forma nata conservari independentè à subiecto.

DICES septimò. Persona Divina defacto exercet rationem causæ materialis in unione Hypostatica.

RESPONDETUR. Negand. Anteced. semper enim causalitas materialis, eductionem importat: natura autem humana non educitur è verbò, nec recipit in se naturam humanam, sed illam terminat; quamvis autem dicatur sustentatio est terminativa, non autem subiectiva.